

DISCUSSIONUM PERIPATETICARUM  
TOMI III LIBER II

**Aristotelis cum tribus Physiologis dissensio**

5 Ad eos accedamus, qui quanquam theologi etiam fuerint,  
sunt tamquam physici ab Aristotele multo pluribus in locis ac  
multo plures vexati: Thaletā, Diogenem et reliquos omittam,  
quod ipse parum operae in eos consumat. Inter omnes tres eli-  
gam, quos acrius quam alios laceravit: Empedoclem, Anaxago-  
10 ram, Democritum. Quorum quanquam Empedoclem aliquando  
collaudet, aliquando uti testem tantum adducat, attamen pluri-  
bus criminationibus quam caeteros cunctos, excepto praeceptore  
Platone, accusat. Itaque eum 1. Physico laudat, quod principia  
finita posuerit 1. Sapientiae: ait eum de principiis balbutire, 2.  
15 Physico, quod casum in rebus naturae amittat, reprehendit: eun-  
dem tamen casum ibidem ipsemet admittit.

Sed ad graviora 1. De generatione I:<sup>1</sup> *Empedocles sane videtur  
contraria dicere et apparentibus et sibi ipsi: simul enim dicit alterum  
ex altero non fieri elementorum ullum, sed alia omnia ex his. Et simul  
20 cum collegerit in unum universam naturam praeterquam litem, ex uno  
generari rursus unumquodque.*

<sup>1</sup> Ἐμπεδοκλῆς μὲν οὖν ἔοικεν ἐναντία λέγειν καὶ πρὸς τὰ φαινόμενα  
καὶ πρὸς αὐτὸν αὐτός. Ἄμα μὲν γὰρ οὐ φησὶν ἕτερον ἐξ ἑτέρου γίνεσθαι  
τῶν στοιχείων οὐδέν, ἀλλὰ τὰλλα [τ' ἄλλα] πάντα ἐκ τούτων, ἅμα δ'  
ὅταν συναγάγη εἰς ἓν τὴν ἅπασαν φύσιν πλὴν τοῦ νείκους, ἐκ τοῦ ἐνὸς  
γίνεσθαι πάλιν ἕκαστον. [ARIST.G C. 315a. 3 – 8]